DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PLEURITIDE.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.
Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academia Lugd. Bat. Profeſſoris Ordinarii digniſſimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

CASPARUS DRAPER, GRONINGENSIS.

Ad diem 14 *Octobris, loco horiſque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXI.

7
1185. g. 16
70
k

DEO

ET

BENEVOLIS.

Hanc Diſputationem Inauguralem

Dicat & offert

CASPARUS DRAPER,

Auctor & Reſp.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PLEURITIDE.

PROOEMIUM.

Medicina eſt omnium artium nobiliſſima, ſive enim ejus ſubjectum ſpectes (quod eſt homo) nil reperies hoc nobilius, eſt etenim univerſæ naturæ creatæ miraculum & operum Dei complementum; ſive finem conſideres (qui eſt ſanitas) nil dicere poteris aut majus aut pretioſius ulla arte poſſe comparari: verum ut omnium eſt nobiliſſima, ſic etiam eſt difficillima & ampliſſima; adeo ut merito dixerit Medicorum princeps, in initio Aphor. ſuorum: vita brevis, ars longa. Longam dicit artem, utpote cui addiſcendæ vita hominis non ſufficiat, & quæ propterea, artis ſc. reſpectu, brevis dicitur. Laborarunt in hac arte perficienda non pauci tum veterum tum recentiorum, non minus in-

indefeſſo labore & ſtudio quam ingenii ſubtilitate illuſtres, & ſane profecit multum multorum induſtria, ſed tamen hanc artem nondum perfecit, adeo ut hac nulla ſit prolixior aut difficilior ob rerum medico ſcitu neceſſariarum multitudinem. Ego, cui aliquod, poſt brevem huic arti impenſam operam, pro diſputatione inaugurali *problema ſuſcipiendum erat, aliquamdiu dubius haſi quam materiam pro dignitate tractandam ſuſciperem, & modo hac, modo illa, mox alia placuit; ſed cum temporis anguſtiæ non patiantur diu deliberare, aut quicquam debite enodare; præſertim ab illo qui exiguos tantum annos arti Medicæ impendit, ignoſcet benevolus Lector, ſi materiam ſuſceptam (ſuſcepi autem* Pleuritidem) *non, uti decet, evolvam, aut ſi quid huic, quod omittendum, inſeram, aut, quod inſerendum, omittam: ſit igitur abſque majori prologo.*

DE PLEURITIDE.

Thesis I.

Pleuritis tam lata interdum ſignificatione auctoribus ſumitur, ut hoc nomine omnis laterum dolor comprehendatur, ſive ſit à ſanguine extravaſato & inflammationem faciente, ſive à ſero ſcorbutico muſculos intercoſtales membranaſque pungente, ſive ab halitibus & flatibus diſtendentibus, ſive ab infimi ventris viſcerum morbis, pleuram & muſculos in conſenſum trahentibus, oriundus. Interdum vero ſenſu adeo ſtricto, ut illum tantum lateris dolorem ſignificet, qui à ſanguine inflammato oritur: & hæc *pleuritis vera*, cæteris dictis *ſpuriis*, appellatur, ſed miſſis *ſpuriis*, & multiplici pleuritidis differentia & diviſione, *veram* proſequemur.

II. Solet

II.

Solet autem plerumque *Pleuritis definiri*, quod ſit: *inflammatio pleuræ aut membranarum*, ne ſc. perioſtium excludatur, *coſtas cingentium*. Verùm alii pleuritim tam *muſculorum intercoſtalium quam membranarum inflammationem dicunt*: quæ poſterior definitio rationi magis conſentenea præ prioribus placet. Nam ſolitarias membranas inflammari poſſè rationi & experientiæ videtur repugnare, ut th. 4. oſtendemus. In definitione loco *generis* inflammatio ponitur, per quam cum peripneumonia, cum angina, cum phrenitide cæteriſque talibus convenit, reliqua quæ adduntur illam ab his aliiſque diſtinguunt, quomodo autem inflammatio fiat, ubi de *cauſis* agemus, enodabimus, ſi prius *ſigna* cauſis præmiſſerimus: placet autem hunc ordinem ſequi, ut eò melius morbi natura cognoſcatur, eâ enim *cognitâ* facilius erit in *cauſis* inquirere, & ex his *ſignorum* rationem deducere.

III.

Signa itaque alia ſunt quæ pleuritidem ſemper *comitantur*, & quæ *diagnoſtica* dicuntur, ut ſunt: *ardor, dolorque lateris punctorius, febris continua acuta* & *reſpiratio difficilis* atque *anheloſa*. Alia verò ſigna ſunt, quæ non ſemper; ſed tamen frequentiſſimè adſunt, ut *tuſſis continua*, ſed in *initio ſicca*, ſubſequente paulo *pòſt phlegmatum* prius *ſpumoſorum* poſtea vero *cruentorum* excretione, & decubitus in latus affectum facilior, quam in oppoſitum: alia denique ſunt, quæ pro morbi magnitudine præſentia ſunt vel abſentia, ut: *ſitis*, *vigiliæ* &c. quæ quia à prioribus maximè dependent, omnia recenſere non lubet.

IV.

Cauſa continens & proxima ſanguis eſt ſtagnans ideoque putreſcens, & inflammationem producens. De *loco* autem, ubi ſanguis ſtagnet, dum inflammationem efficit, dubitari poſſet; an ſc. hic ſit ipſa partium ſubſtantia, an vero vaſa, venæ ſc. vel arteriæ? Diximus th. 1. ſolitarias membranas inflammari non poſſe, & quod de iis dictum, idem de vaſis ſtatuendum judico. Et ne

utrumque tantum adſtruxiſſe videar, neminem latere puto, quod non æque omni loco res putreſcant & diſſolvantur, ſic corpora quæ libero expoſita aëri cito putent & horrendam mephitim ſpirant, variis modis contra aëris impetum (varie ſc. condita aut ad cryptas ablegata ſubterraneas) defenduntur, & in ſuo ſtatu per multos annos conſervantur; ſimilis eſt ratio ſanguinis & aliorum humorum, qui inflammationi obnoxii ſunt; ut enim putreſcant & inflammatur; quod abſque particularum quibus conſtant ſolutione & ſeceſſu non fit; requiritur partium in quibus ſtagnant talis conſtitutio, quæ corporum externorum impetum non arceat, nec particulas volatiles & ſubtiles materiæ extravaſatæ avolare impediat. Cum igitur membranarum vaſorum ſubſtantia denſa ſit, & exiguis donata poris corporum ambientium nimium avertit impetum; & legitimam humorum miſcellam aliquamdiu conſervat: tales autem membranas eſſe teſtatur earum uſus, ad ſpiritus ſubtiliſſimos ne in aërem evolent cohibendos, chymicis & pharmacopœis notiſſimus. Accedit hoc, quod non raro ſanguinem aliumve humorem ingenti ſatis copia inter partes membranaceas interceptum videamus, non tamen putreſcere, ſed aliquamdiu legitimam ſervare mixturam, tandemque grumeſcere & exſiccari. In vaſis idem obtinere *aneuriſmatum*, *varicum*, *hæmorrhoïdum cæcarum* & *arteriarum umbilicalium* exemplo convincitur. Arteriæ umbilicales, à ramis iliacis oriundæ, ab uſu ſuo, ubi in lucem protruſus eſt infans, ceſſant; & tamen non ſtatim omni ſanguine deſtituuntur. de his ſequentia habet *Nic. Pechlinus in fine cap. 8. tract. de aëris & alimenti defectu*: *Recordor enim nos aliquoties ex iliacis umbilicalium ramis etiam poſt octavum partus diem ſanguinem exemiſſe congulatum, ſed integrum & nulla puris fœditate inquinatum, imo jam jam, quod mirabile eſt, membranarum propagatione in ipſam ligamentorum ſubſtantiam vel nutrimentum tranſeuntem: quod ideo moneo ne putemus excentricum quemvis, ut ſic loquar, ſanguinem ſtatim in pus degenerare.* His addendum eſt experimentum *Clariſſ.* viri *Drelincurtii* hujus Academiæ Anatomes Profeſſoris ſolertiſſimi, præceptoris mei plurimum honorandi, hic teſtatur ſe aliquando in canibus duplici ligamine ſanguinem in vaſis intercepiſſe, & poſt aliquot dierum ſpatium non putridum, at quidem grumefactum, inveniſſe.

V. *Ob-*

V.

Objicienti, veſicam, uterum, pulmones aliaſque partes membranaceas inflammari poſſe. *Reſpondeo* harum partium inflammationem negandam non eſſe, id enim eſſet experientiæ vim inferre, verum eas non eſſe pure membranaceas & autopſia & anatomicorum ſcripta docent; inſigni enim muſculo veſica gaudet; uterus innumeris glandulis & fibris carneis donatur, pulmones itidem glandulis bronchialibus dictis uberrime referciuntur. Si igitur has partes inflammari contingat id fibrarum & glandularum ratione non membranarum fieri cenſemus.

VI.

Non igitur ſolitariæ membranæ inflammationi obnoxiæ ſunt, nec ſanguis in vaſis ſtagnans putreſcit; ſed in partium, extra vaſa diſrupta aut eorum oſcula adaperta, effuſus ſubſtantiam putreſcit: id eſt, compages ejus ſolvitur, avolantibus per poros partium particulis tenuibus & ſpirituoſis, à quibus maxime dependet humorum legitima temperies & mixtura. Hoc igitur ſublato vinculo particulæ ſulphureæ, à quibus aliàs ſanguinis & hinc corporis univerſi moderatus calor dependet, in motum inordinatum concitantur, & ſic *ardorem* in parte affecta intenſum producunt. Dicitur plerumque *ardor* oriri, propterea quod ſanguis ſtagnans motum progreſſivum inteſtino particularum motu compenſare nitatur; quod quomodo verum ſit non video, ſive enim ſtatuas ex materia ſtagnante partes quaſdam avolare, ſive cunctas retineri; cauſa motus hic deeſſe videtur. Si velis ſecedere quaſdam, erunt utique hæ ſubtiles & maxime mobiles, à quibus craſſorum motus dependet: ſi dicas retineri aſſignanda, erit cauſa, quæ majorem motum inducat; hæc autem cum non adſit, ſed potius deficiat; non augebitur, ſed minuetur paulatim particularum inteſtinus motus.

VII.

Dolor punctorius ab eadem cum ardore cauſa oritur. Diximus; dum materia ſtagnans putreſcit, illius compagem diſſolvi, ſecedentibus

dentibus particulis tenuibus & ſpirituoſis, craſſarum & acrium involucris: his autem ſublatis, quomodo dolor producatur facile patet; tum enim membranæ & fibrillæ muſculorum nerveæ pinguntur, vellicantur & diſſolvuntur.

VIII.

Febrim inter ſigna enumeravimus diagnoſtica, conſentientibus omnium ſæculorum autoribus. Quid autem febris ſit prius ſciendum eſt, quam unde oriatur inquirendum. Sane ſi ullus in medicina litigioſus affectus eſt, febris erit: non enim minus de illius eſſentia, quam cauſa controvertitur; receſſerunt procul à veterum placitis autores hodierni, quos inter non extremi *Williſius* & *Sylvius*, *prior lib. de febribus cap.* 3. deſcribit febrim, quod ſit *motus inordinatus ſanguinis, ejuſque nimia effervescentia cum calore & ſiti aliiſque præterea ſymptomatis, quibus œconomia naturalis varie perturbatur. Poſterior diſp. med.* 9. ſignum febris *pathognomonicum* & per conſequens *omni, ſoli, ac ſemper febri conveniens* vult eſſe pulſum præter naturam frequentiorem, & *prax. med. l. j. c.* 17. inter hujus pulſus cauſas recenſet *nimiam permanentemque ſanguinis rarefactionem, ex utriuſque ſanguinis effervescentia erumpente factam.* Videntur in eo conſentire, quod ſtatuant febrim eſſe nimiam ſanguinis effervescentiam ſive rarefactionem, at in eo diſſentire, quibus ſignis hæc ſanguinis conſtitutio innoteſcat, ex *pulſu præter naturam frequentiori* dicit Sylvius; at rectius Williſius in deſcriptione *calorem, ſitim &c. ſymptomata* recenſet: Fateor omni, ſed non ſoli, febri talem pulſum adeſſe; non enim tantum hæc à nimia, ſed etiam à minori effervescentia oritur. Probat hoc agonizantium pulſus vix palpantem digitum feriens; & tamen præter naturam celerior: & quis hic majorem effervescentiam adeſſe dicat? Sed hæc quid moror, quæ extra ſcopum ſunt? Sufficiet unde talis maſſæ ſanguineæ effervescentia oriatur demonſtraſſe. Oritur autem hæc à particulis, quas ſuperiori th. a materia ſtagnante ſecedere diximus; hæ etenim quietis & moræ impatientes, ubi craſſarum compedibus exſolutæ ſunt, velocius moventur, & circulantem ſanguinem, cui continuo admiſcentur, magis rarefaciunt, & in talem, ut dictum, effervescentiam concitant.

IX.

IX.

De hac febri *duplex* inter autores agitatur *quæſtio*, *altera*: *an ſit de eſſentia inflammationis?* de qua cenſemus, nullam dari *notabilem* inflammationem: cui febris non jungatur; ſed parvas ſubinde in corpore noſtro excitari, quorum effluvia ſanguinis efferveſcentiam intendere nequeunt, docet experientia: *altera* eſt, & quæ præcipue hujus loci: *an febris hac individua noſtri morbi comes, illius ſymptoma, an vero cauſa exiſtat?* variant hic autorum opiniones; aliis hoc, aliis illud ſtatuentibus, qui putant febrim pleuritidis cauſam eſſe, teſtantur experientiam, & advertiſſe ſe ajunt, quod febris hanc inflammationem præceſſerit, aut ſaltem cum ea orta fuerit. Experientiam hanc licet veram eſſe *proneremus* non tamen eorum probaret ſententiam: altera enim huic opponitur, quod ſæpiſſime pleuritim, aliaſque iuflammationes febris ſequatur. Vulneribus enim & fracturis inflammationem & huic febrim ſupervenire advertimus; & ſi in his hoc fiat, utique in pleuritide idem fieri poterit: & ſi contingat febrim aliquando præcedere morbique cauſam fieri; hæc, poſt factam inflammationem, ex parte ſaltem futuram *ſymptomaticam* ratio ſuadet. Præterea potuit febris pleuritidem præcedens ex alterius Partis inflammatione proceſſiſſe.

X.

Signorum diagnoſticorum ultimi, *reſpirationis* ſc. *difficilis & anheloſa* ratio eſt; & primo quidem *difficilis*, quia muſculi intercoſtales materiâ extravaſatâ repleti, & diſtenta membrana pleura pectoris ab aëre legitimam dilatationem, ejuſdemque vi propria conſtrictionem non patiuntur; *Anheloſa* autem reſpiratio, quæ in parvitate & frequentia conſiſtit, producitur tum ob eandem rationem, tum ob metum; ne à pulmone ad latus affectum allidente dolor intendatur; hinc æger parciùs reſpirat, at quantum reſpirationi ob brevitatem detrahit, tantum illi per frequentiam addere cogitur, ſanguinis enim per pulmones motus, ne ſiſtatur aut inteſtinâ efferveſcentiâ ſuffocetur, ventilari debet; eoquè copioſiùs, quò major motus eſt & rareſactio. Statuit idem *Pechlinus Tract. citato l.* 9. ubi hæc habet, *quibus bene perpenſis geminam in utraque parte cauſam eſſe arbitror, quæ reſpirandi neceſſitatem imponat,*

motum ſanguinis circularem & inteſtinum ſive rarefactionis, hæc ergo eadem erit qua modum & qualitatem ipſam variet, quin imo efficiat, ut nunc tardius modo citius illis neceſsitas incumbat, aliquando pro tempore etiam ſufflaminetur: & hinc deducit, quomodo ſub aquis abſque reſpiratione poſſint vivere, ſtatuit nimirum illos temperamenti eſſe frigidi, & illorum ſanguinem ad piſculentam naturam inclinare. Dixi ſanguinem *ventilari* debere; id autem non eſt, ut quidam volunt, *refrigerari*; cenſentes ad ſanguinis æſtum temperandum reſpirationem ordinatam eſſe; idque ratione particularum aëris nitroſarum; verum dicam potius ad æſtum ſanguinis promovendum eam ordinatam eſſe. Si enim liceat dicere ignem in fornace accenſnm à novo ſemper accedente aëre refrigerari, valebit idem de reſpiratione, at certe obſervamus quotidie ignis motum aëris acceſſu conſervari imo augeri; imminui autem & exſtingni, ſi obturatis undique oſtiis, novo aëri aditus præcludatur; & quò major ignis eſt eò major aëris allabentis neceſſitas; particulæ enim ignis rapidiſſimo in altum evectæ motu aërem vicinum agitant & ſecum in auras evehunt, novis ſemper in locum abreptarum ſuccedentibus particulis. Non aliter ſanguis noſter in dextro cordis fervefactus ſinu, dum in pulmones adigitur, ſubtiliſſimam portionem in pulmonibus & aſpera arteria hærentis aëris, majori attenuationi & effervescentiæ in ſiniſtro cordis ventriculo inſervituram, ſecum abripit; in cujus abrepti locum continuò aër externus irruit, pulmones pectuſque dilatans, & horum propria conſtrictione mox iterum expellendus. Atque ita occaſione reſpirationis anheloſæ quomodo reſpiratio fiat, dictum eſt: ex quibus patere puto, quod pleuriticus brevitatem inſpirationis frequentiâ compenſare cogatur, eoque magis, quia febris adeſt ſive major ſanguinis ebullitio; & hinc reddi poteſt ratio, quare à curſu aut alio cotporis exercitio, immoderatiſque animi pathematibus, ira, excandeſcentia & aliis intendatur aut multiplicetur reſpiratio; ob ſanguinem ſc. ab his in majorem effervescentiam concitatum.

XI.

Signis hiſce ſubjunximus *tuſsim continuam*, in initio *ſiccam*, ſubſequente *phlegmatum ſpumoſorum* mox *cruentorum* rejectione: verùm hæc

hæc frequentiſſimè, non verò ſemper adeſſe diximus; teſte experientia varios pleuriticos aut nihil aut ſaltem parum tuſſire. Hoc autem fieri poteſt, ſi aut muſculi ſoli, aut etiam cum his membranæ afficiantur, pulmonibus à malo liberis: verùm quia rara pleuritis abſque pulmonum inflammatione, ut poſtea dicetur pluribus, frequentiſſimè tuſſis adeſt, ſicca ſub initium, quia materia extravaſata tam citò non reſolvitur, nec viam qua excernatur invenit; verùm aliquamdiu ſtagnans incipit putreſcere diſſolvi & pulmones acrius ſtimulare, ſicque continua vellicatione viam extrorſum perrumpere, prodeunte primùm quod tenuius, hinc *phlegmata ſpumoſa*, ſubſequente quod craſſius; poſt vias ſc. vi magis adapertas, & hinc *cruenta* excernuntur.

XII.

De hac phlegmatum anacatharſi multi multum diſputant, per quas ſc. vias ad aſperam arteriam perveniat, ut excernatur? alii exiſtimant hanc materiam ex latere in pectus delabi, indeque à pulmonum ſubſtantia ſpongioſa reſumi, & per tracheæ ductus excerni: alii ſtatuunt hoc fieri per membranas, quæ aliquando pulmones cum pleura connectere advertuntur; verùm utrumque modum, ſi non impoſſibilem, ſaltem valde improbabilem probat *willisius pharm. ration. p. 2. ſ. j. c. 8. de peripneumonia.* De viis autem excretionis non eſt ut multum ſimus ſolliciti, ſi cum eodem autore loco citato ſtatuamus *peripneumoniam & pleuritim affectus eſſe modò ſingulares & ſeparatos, modò connatos & primitus coëxiſtentes, & modò invicem ſuccedentes & ſuccedaneos*; ac proinde, ſi talia phlegmata excernantur ſuſpicio eſt, ex parte etiam pulmones inflammatos eſſe. Illos autem in pleuritide inflammari non tantùm ratione, ſed & experientia anatomica, cui maximè in tali caſu habenda fides, probat *Platerus tomo ſecundo cap.* 10. *de pectoris doloribus*, dicens: ſe aliquoties in corporibus pleuritide exſtinctorum pulmones inflammatos vidiſſe, quod niſi fiat, phlegmatum purulentorum excretio, propter rationes ab eo & *willisio* aſſignatas, videtur impoſſibilis: & hinc in pleuritide aliquando *nulla* adeſt *phlegmatum excretio.*

XIII.

Decubitus in latus affectum facilior & commodior contingit ægrotantibus, quàm in ſanum (licet & hoc illis aliquando ſatis ſit dolorificum, ſi ſc. etiam ad muſculos externos inflammatio extendatur) quia materia extravaſata ſuo pondere pleuram deprimit, diſtendit & a coſtis divellit.

XIV.

Reliquorum ſignorum quæ pro morbi magnitudine vel adſunt vel abſunt, vel mitiora ſunt vel intenſiora, *ſitis* ſcilicet *vigiliarum* &c. unus & idem fere fons eſt & origo, nimirum febris: per hanc enim non tantum nimium tenduntur arteriæ, ſed etiam valde diſſipatur ſerum ſanguinis ſuo madore univerſum corpus turgidulum & irriguum faciens; quo deficiente facile eſt concipere ſolitis rivulis defraudari fauces ſitimque produci. Vigiliæ oriuntur; tum à febri, ægrotanti moleſtâ; tum a lateris dolore, continuo infeſtante. Verum hæc de cauſa pleuritidis conjuncta, & inde promanantibus ſignis dicta ſufficiant; & quod ordo exigit *cauſas antecedentes* & *procatarchticas* paucis ſubnectamus.

XV.

Cauſa igitur *antecedens* idem ſanguis eſt, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu* peccans; & primo *quanlitate* ut in *plethora*; ſic fieri poteſt ut ſangnis plus æquo vaſa diſtendat & perrumpat, aut etiam majori copia per arteriarum extrema orificia in partium ſubſtantiam effundatur, quam ab orificiis venarum reſorberi poſſit, & ſic diutius, quàm æquum eſt, in parte hærens, neceſſum eſt ut lenteſcat, obſtructioneſque faciat; & cum illo qui continuò per arterias advehitur ſanguine inflammationem concipiat. Ubi notandum inter pleuriticos potiſſimum eos, ut aliis inflammationibus, ſic etiam pleuritidi obnoxios eſſe, qui poſtquam aliquamdiu cum morbo conflictarunt, aut diu quacunque de cauſa macri & excarnes fuerunt, priſtinam recuperant ſanitatem, & cum hac ſubitum corporis incrementum & ſanguinis laudabilis abundantiam. Ita docuit experientia tales variis inflammationibus, tum inter-

internis tum externis, correptos fuiſſe; quia talia corpora exiguæ copiæ & debili humorum motui & effervefcentiæ aſſueta nec quantitatem magnam, nec validum ſanguinis impetum patiuntur. Secundò *qualitate* peccans ſanguis pleuritidis cauſa fit, ſi ſc. variis modis factus acrior rodendo vaſa aperiat, & ultra modum partes inundet; vel ſi ſit viſcidior, tenacior & compatior, ex quo facile hinc inde obſtructiones oriuntur, & ita pleuriticorum ſanguinem conſtitutum eſſe ex phlebotomia elucere dicit *willisius loco citato de peripneumonia*; ubi ſic habet: *enim verò ſanguis è quibuſdam hoc morbo, prout etiam pleuritide quam laborantibus, detractus poſt refrixit in ſuperficie ſua loco cremoris coccinei pelliculam ſubalbidam aut alias diſcolorem, quæ item tenax admodum eſt & viſcida, ſuccreſcentem habet.* Tertiò *motu* peccans ſanguis, dum nimirum in depravatas febrileſque concitatur effervefcentias, ita febribus continuis putridis, ardentibus, epidemicis & malignis ſæpe anginas, pleuritides, peripneumonias aliaſque inflammationes ſupervenire videmus. His annunerari poteſt ipſa corporis conſtitutio florida & juvenilis, juvenes enim maxime morbis acutis obnoxios eſſe teſtatur *Hipp. Aph.* 30. *ſect.* 3. ubi ita loquitur, *his autem qui hanc ætatem ſuperarunt* (dixerat ante de adoleſcentia) *crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonum inflammationes, lethargi, pleuritides, febres ardentes &c.* Ratio eſt quia horum ſanguis maxime viget & floret, id eſt, particulis ſpirituoſis & ſulphureis maxime abundat, cum contra *ætas junior*, cujus ſanguis dilutior propter ſerum abundantius, particulaſque activas nondum ſatis exaltatas: aut *grandior*, cujus ſanguis particulis ſuis activis jam incipit depauperari; rarò horum morborum, ab aſtu intenſo celebrium, violentiam patiatur.

XVI.

Cauſæ procatarcticæ ſunt *res non naturales* vulgo *ſex, aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta atque animi pathemata.* Sic aër cælique conſtitutio ſerenior, alimenta euchyma & eupepta, moderatio ſomni & vigiliarum, modicum corporis exercitium, excreta & retenta naturaliter habentia, animus pacatus atque à curis ſollicitudinibuſque liber ad plethoram producendam apta ſunt; atque hæc eadem, prout varie in illis peccatur, multipliciter ſanguinem vitiare poſſunt, & illi conſtitu-

tionem aut acriorem aut viſcidiorem & compactiorem concilia-re, ita ut pro inflammatione ſuſcipienda aptus evadat. Quin imo ex hiſce fontibus cauſæ evidentes præexiſtentem in corpore in actum ſubitò deducentes petendi ſunt, ita compertum eſt ebrietatem, aut etiam potum affatim hauſtum, præſertim ſi frigidus ſit, & corpus incaluerit, ſomnum in locis ſubterraneis, frigidis & humidis, exercitia corporis vehementiora, gravioreſque animi paſſiones, terrorem ſc., effuſius gaudium, iram, excandeſcentiam &c. frequenter pleuritidem, peripneumoniam & alias inflammationes produxiſſe, quæ omnia quomodo ſingulatim fiant, hic eſſet exponendum, ſed brevitati ſtudens hæc ſicco pede tranſeo.

X V I I.

His dictis puto morbi indolem, cauſas & generationis modum ſatis poſſe dignoſci: ordo igitur nos ducit ad *Prognoſin*. In genere de pleuritide dici poteſt, quod ſit, quia acutus, morbus valde periculoſus; non tantum ratione exitus plane dubii, id eſt, vel ſalutaris vel lethalis, ſed etiam ratione graviſſimorum morborum, in quos ſæpe tranſmutari aut deſinere ſolet; ut ſunt *peripneumonia*, *empyema*, *phthiſis* &c. Ut autem quomodo terminandus ſit cognoſcatur imprimis attendendum eſt ad morbi magnitudinem & ægrotantium vires corporiſque conſtitutionem: morbo enim viribus majore, fatalis exſpectandus eſt exitus; de corporis conſtitutione *in Coacis* dicit *Hippocrates*: *Denſa & exercitationi dedita corpora citius ex pleuritide & peripneumonia intereunt.* Super quæ verba dicit *Riverius*: *& quotidiana docet experientia, foſſores pleuritide correptos omnes propemodum interire.* Et rationem addit: *quia robuſta illa corpora, non niſi ex graviſſima cauſa in morbos incidunt, & propter denſitatem non facile reſpirant, ut morbi reſolutio fiat.* Porro in recenſendis ſignis lethi aut ſalutis prænunciis non morabor, cum de his abunde autores ſcripſerint; & ideo ex illis tantum in has pagellas transferenda eſſent; quare miſſâ *Prognoſi*, *Curatio* veræ rationi conſentanea, & peritiſſimorum medicorum ſuffulta experientiis reſtat ſubnectenda.

X V I I I.

Tres autem potiſſimum hic occurrunt *indicationes*; prima, ut ulterior in partem affectam ſanguinis effluxus impediatur; ſecunda

da, ut materia ſtagnans & inflammationem efficiens inde removeatur; tertia, ut ſymptomata maxime urgentia mitigentur. At dolendum in his ſcopis obtinendis etiam in diverſum abire autorum opiniones, ubi maxime in ægrorum ſolatium & ſalutem conſpirare oporteret: quid enim intereſſet ſi de cauſis earumque agendi modo diſſentiret, ſi modo in curatione concordes eſſent? hæc enim eſt, qua ægri ſanitas reſtituitur, aut vitæ terminus acceleratur; hæc eſt, qua ſplendidum nomen ſibi medicus comparat, aut omnium in ſe odium & contumeliam derivat. Omni ſæculo & omnibus celebratiſſima in hoc affectu fuit *venaſectio*; exceptis paucis quibuſdam, qui neſcio qua ratione aut experientia ducti ex hujus morbi curatione, imo tota fere medicina, venæſectionem eliminare volunt. Putant nil quicquam ab illa boni, verum ingentem malorum catervam derivari; dicunt ſanguinem vitæ balſamum profundi, & hinc viribus exhauſtis ægros ſæpe in *tabem*, *hydropem*, *febres ardentes* ipſumque vitæ periculum conjici. Gloriantur ſe omnia illa, quorum gratia V. S. inſtituitur aliis remediis tutius faciliuſque obtinere poſſe; ſtagnantis ſc. ſanguinis motum per attenuantia & ſudores moventia: febrilis æſtus diminutionem, per refrigerantia, & doloris pungitivi per opium; ignaris, ut ajunt, infidum. Verum quia ſententia hæc nec ſolidis ſtabilitur rationibus, nec ſatis firma fundatur experientia, cum pleriſque imo peritiſſimis omnium ſeculorum practicis in pleuritide V. S. inſtituendam judicamus; huic tamen, ſi alvus ſit adſtrictior præmitti ænema poteſt, aut etiam poſt eam adhiberi, pro ut viſum fuerit: De venæſectione teſtantur fere omnes magna ſemper ſe in hoc morbo per eam præſtitiſſe, quos inter *Sylvius*, noſtri ſæculi magnus practicus ſe ſæpius ſola ſanguinis miſſione pleuritidem curatam vidiſſe dicit, & *Paulus Berbette* in operibus ſuis Chirurgico Anatomicis *part.* 1. *cap.* 15 hæc habet: V. S. (de pleuritide enim agit) *hic ægris maxime eſt auxilio, qua medium magis neceſſarium certiuſque nullum datur, quæ etiam ſæpe in tempore inſtituta ipſa in operatione, antequam vena clauſa ſolatium ægris affert: imo omnino ſanitati reſtituit, largiter hæc quoque inſtituenda, cum nullus mihi notus morbus, qui liberaliorem eam ferat, cum commodo ægrotantis.*

XIX.

Sed priuſquam reliquum curationis ſubnectam, adverſariorum ra-

rationes paucis expendere licet: ſanguinem vitæ balſamum profundit V. S. vireſque debilitat. Fateor cum ſanguine vires imminui, ſi is nec quantitate, nec qualitate, nec motu ſit noxius; at vero ſæpius fuſo ſanguine vires agentur, præſertim ſi copia & motu peccat; verum ſi ideo vena ſecanda non eſt, quia medice vires imminuit, nec licitum erit ægris aut purgans aut ſudoriferum præſcribere; hæc enim, quantum ſæpe debilitent, & ægri & medici norunt; ſed quis ſpe majoris commodi parvum incommodum non ferat? At dicunt ingentem V. S. ſæpe poſt ſe trahit morborum catervam; ſi ita eſt, in hunc vel illum morbum poſt V. S. ægrum incidiſſe, quid ni hoc æque morbi violentiæ magnitudini aut malignitati imputetur? & ſi aliquando remedii alias utilis & ſalutaris abuſu in graviorem morbum imperitus conjecerit ægrum, an ideo ſemper & ubique ab illo abhorrebit prudens medicus. Sic ſane nullum ad morbos fugandos ſupererit, optima enim quæque abuſu fiunt peſſima & ſalubria in manu imperita fiunt venena, non enim hic cæco impetu V. S, inſtituenda, quod etiam eorum, qui illam in inflammationibus commendant, plerique monent, dicentes: virium rationem ſemper habendam eſſe. Sed inſtant, ſi dentur, quæ citius tutiuſque curent, utique ad hæc, non ad V. S., confugiendum erit; at talia dari nec docet experientia, nec ratio dictat. Si experientiam conſulo, pro me ſtat ingens peritiſſimorum medicorum cohors, teſtantium nullo modo alia remedia id præſtare, quod præſtat V. S.: non enim eos quid valeant in hoc affectu ſudorifera latuit, nec incognita fuit opii in variis affectibus divina pene virtus & energia; & ſane magni hic faciendus eſt incidentium & ſudoriferorum uſus; ſed maxime dum morbus recens eſt, nec admodum ſymptomata vigent, ſic inter alios *Sylvius prax. l. 1. c. 40. §. 24. unico ſæpe ſudorifero tempeſtivè exhibito lateris inflammationem abſque ſanguinis miſſione feliciſſime curatam dicit*; at ubi jam febris urget & omnia ſymptomata intenduntur, quis ſudorifera validiora (qualia hic ad obſtructiones reſerandas requiruntur) abhibeat? id enim eſſet oleum igni affundere, & in præſens vitæ periculum ægrotantem conjicere. Præterea, ſi pro æſtu febrili exſtinguendo refrigerantia adhibeam, utique prioribus contraria molior: ſed dicunt refrigerantia dantur, quæ ſimul ſunt ſudorifera & diſcutientia. Fateor, ſed hæc nimis ſunt debilia, quam ut pertinaciores & remotiores obſtructiones reſolvant; & ſi quid

hæc

hæc poſſent, id melius poſt venam ſectam præſtarent, cum à minori ſanguinis copia non æque quam à majori earum vis infringatur. Ergo in pleuritide vena ſecanda: ſic enim non tantum primæ ſed ex parte etiam reliquis indicationibus ſatis fit; præterquam enim quod V. S. majorem ad partem affectam ſanguinis affluxum impediat; etiam jam effuſam & ſtagnantem in vaſa reducit, dum ſc. totus corporis habitus ſanguine depletus modicè concidit, & non parum efferum ſanguinis effervescentiam ſeu febrim infringit; ſicque ſudoriferis facilior via ſternitur, ad id, quod parti moleſtum, removendum.

X X.

Circa V. S. *an ſc. in brachio lateris affecti, an vero ſani inſtituenda ſit?* acriter diſputatunt veteres; imo adeo, ut alii alios, quoties infauſtus contingeret eventus homicidii reos proclamarent. Ex neotericis quidam utrumque promiſcuè fieri poſſe judicant, cum paria videantur utrimque rationem momenta: attamen pro vena lateris affecti potius ſecanda, hanc rationem dat *Williſius*: *quod vena baſilica depleta arteria brachiales uberiorem ſanguinis penum excipiunt hinc aorta rivus ſanguineus ex iſto latere rapius verſus ramos brachiales decurrit;* *ac interea forſan in celeri iſto tranſitu paulò minus ſanguinis arteriis vertebralibus pro morbi fomite infundit.* Verum ſi cui hæc ratio forte non videatur ſufficere, is experientiam conſulat, de qua loco ſuperius citato *P. Barbette* dicit: *in hujus morbi curatione minus exercitatum ſe profitetur ille, qui (noſtris in locis) citius multò dolorem imminui non obſervaverit, V. S. ubi inſtituta in brachio lateris affecti, quam oppoſiti.*

X X I.

Secunda indicationi ſatisfaciunt, tum illa quæ diſcutiunt & ad priſtinam circulationem humorem ſtagnantem reducunt, tum quæ expectorationem promovent, id eſt, materiam peccantem ut ſuperius excernatur idoneam faciunt: prius præſtant tum interna tum externa, inter interna commendantur ſalia volatilia ex variis animalium partibus elicita, ut ſp. ſive ſal volat. CC. Cranii & ſang. hum. urinæ, oſſium quorumcunque, ſp. ſal: armon. his adde multo ſale volatili ſcatentia, ut ſunt ſanguis hircinus, ſtercus equinum, ovill.

columb. &c alia quorundam aliorum animalium, huc revocari poſſunt dens apri, oculi canc. corall. margar. nuda vel præparata, lapis carpionum, mandibulum lucii piſcis, antim. diaph. beroard. miner. &c. Nec tantum quæ ab animalibus, ſed etiam quæ a plantis deſumuntur ſalia volatilia aut eo imprægnata hic conducunt, ut ſp. tartari, ſuccus taraxici, betulæ, eryſimi, cochl. naſt. Aquæ deſtillatæ, ut aq. ment. hyſſop. card. bened. ſyr. pavev. rhead. de hyſſ. diacod. & alia his ſimilia, ex quibus variæ medicamentorum formalæ concinnari poſſunt; ita proderit mixtura ſudoriferà hæc aut ſimilis.

℞ Aq. ment. Card. Bened. aut hyſſ. ana ℥ij.
Theriac. aut proph. amſtel. ʒvj.
Ocul. canc. antim. diaph. aut bezoard. min. ana ʒß.
Sp. CC. aut ſalis armon. gt. xx.
Syr. papav. rhead. aut alterius ℥j. M.

Addi etiam poſſunt, imo aliquando conveniet, gr. ij. aut iij. laud. opiati pro doloris magnitudine & ægri viribus. Sumatur ex hac mixtura ſingulis horis cochleare unum.

XXII.

Externe adhiberi poſſunt fomenta ex linteis ſacculiſque repletis arena calida, vel ſemine milii, cumini, coriandri, floribus chamæm. melil. ſamb. addito ſale toſto: olea, ut ol. amygd. lilior. alb. Chamæm. roſar. laurin. aneth. nucis moſch. macis, ol. later. addita camph. & ſp. vini: unguenta, ut ung. alth. pector. mart. popul. &c. emplaſtra, ut empl. de mucil. de cumino, empl. ireos, oxycroc. ſperm. ceti F. Sylvii, bacc. laur. junip. &c. quæ pro morbi tempore & gradu variè inter ſe miſceri poſſunt & parti affectæ applicari, ita in initio proderit hoc vel ſimile linimentum.

℞ Ung. pect. ℥j.
Ol. Amygd. dulc. lilior. alb. ana ℥iij.
Philoſ. ʒj. M. F. Linimentum.

XXIII.

Ad expectorationem facilitandam etiam varia ſunt quæ conducunt, omnia dulcia & pinguia aut reſinoſa dulcibus mixta, ligna

ſc.

fc. cortices, radices antivenereæ, adjectis radicibus althææ aut conſolidæ majoris & minoris, ficubus, paſſul. laricis, jujub. ſebeſt. glyzyrrh. ſacch. alth. ſyr. capill. veneris, de alth. glyzyrr. jujub. hydromel. ſimpl. &c. ita conducet decoctum aliquod, quod maxime proderit ſi ſitis urgeat, E. G.

℞ Hord. mund. ℥j.
Rad. Althææ, glycyrr. raſæ ana ʒvj.
Paſſul. maj. mund. ℥iß.

Coquantur ex aqua pura aut aq. hord. colat. ℥xxiv. adde
Syr. capill. ven. aut de Alth. Fern. ℥ij.
Sal. prunell. ad ſitim ſedandam ʒß. M. F. Apoc.

Sumantur ter per diem ℥iv. aut v. Si linctus placeat.

℞ Syr. capill. ven. diacod. ana ℥j.
Sacch. alth. ʒiv.
Balſ. ſulph. gt. vj. M. F. Linctus.

Prolixior in medicamentorum formulis præſcribendis non ero, cum facile ſit ex prædictis varias concinnare & non inelegantes apud autores Williſium ſc. capite de pleuritide, P. Barbette ſub eodem titulo, atque in annotationibus huic capiti a Deckero adjectis, alioſque autores reperiantur.

XXIV.

Tertiæ indicationi ut ſc. ſymptomata maxime urgentia mitigentur, quomodo ſatisfaciendum non videtur operæ pretium multis deſcribere, cum jam illa in prioribus attigerim & media quibus id obtinendum ſuggeſſerim, febri enim per V.S. & mixturam th. 21. præſcriptam ſuccurritur, ſitim minuet ſuperius apozema, cujus etiam loco julapia præſcribi poſſunt, additis tamen ſemper quæ ſpecificè ab autoribus in pleuritide commendantur: dolorem punctorium ſedabunt tum interna tum externa, inter interna ſæpe miracula præſtat laudanum opiatum cautè tamen in hoc affectu adhibendum, inter externa commendantur olea, unguenta & linimenta ſuperius recenſita.

XXV.

XXV.

Tandem ad diætam in hoc morbo ſummopere eſt attendendum, & quantum poſſibile in rebus non naturalibus exceſſus vitandus, aër eligatur purus & moderatè calidus, frigidus enim & præcipuè aquilonius ut nullibi prodeſt, ita hic maxime nocet, cibi ſumantur tenues, leves & refrigerantes faciliſque concoctionis, cremor ptiſanæ, cremor avenæ, puls tenuis ex lacte ebutyrato & hordeo, lac amygdalarum, mala dulcia aſſa vel decocta, ova ſorbilia, juſcula juniorum animalium ut gallinarum, perdicum, vitulorum, agnorum & ſimilium, vitentur nimium acida, ſalita & fumo ventoque indurata: potus ſit cereviſia tenuis, ſerum lactis dulce & coctum, vel quod maximè commendatur decoctum hordei, vel hujus loco aqua deſtillata Card. Bened. vel card. mar. ſaccharo alth. Syr. violac. jujub. hydrom. ſimpl. aut alio idoneo edulcorata, ad quietem & ſomnum reclinetur corpus, tranſpiratio inſtituatur liberior, alvus ſi ſit adſtrictior enemate ſolvatur, pacatus ſit animus & a paſſionibus tum frigidis tum calidis liber.

XXVI.

Hiſce coöperante divina gratia, tolletur morbus & ſanitati reſtituetur æger, ſi aut his non cedat, ſed vel ad ſuppurationem tendat, vel in empyema deſinat, aliter cura eſt inſtituenda, ſed, quandoquidem ſatis videtur pro diſputatione poſitum, non placet pleuritidem ſuppurantem aut in alium morbum degenerantem ulterius proſequi, ſed hanc materiam aliis pertractandam relinquo & hic diſputationis

Ad Majorem Dei Gloriam facio

F I N E M.